

## Ephemerides

Rerum in Monasterio Mellicensi et in Austria nostra gestarum  
die 31. Julii anni 1741 usque ad annum 1746,

a P. Hieronymo Pez, Bibliothecario Mellicensi, conscriptae  
at a † P. Vincentio Stauffer, ejusdem Bibliothecae Praefecto, editae.

(Continuatio, vide fasc. I. h. ai. pg. 87—95.)

Baro de Trenk Ductor Bandurorum in exercitu nostro sub duce  
Carolo parvis navigiis apud Alt Breisach in Brisgovia 4 vicibus Banduros  
in alteram Rheni partem mittit contra Gallos, atque semel contigit ut  
15 Banduri quamdam munitionem Gallicam invadentes a 300 Gallis  
invasi sint, qui tamen turpiter fugere a Banduris. D. Menzl Dux Hussarorum  
apud exercitum Anglicano-Austriacum, qui excursions fecit in Lotharingiam,  
in Septembri rediit ad dictum exercitum, bonis praedis onustus. Hollandorum  
nobiscum confederatorum primae turbae prope Francofurtum die quinta  
Septembris advenere pergentes ad exercitum foederatum supradictum.  
Apud nostrum exercitum prope Brisacum quarta Septembris pons super  
Rhenum construi coepit, ad quod opus perficiendum praemissi Banduri  
sub duce Trenkio et Croatae 1500 sub Minsko in parvis navibus fuere  
in vicinia Brisaci. Tum Galli ex adverso Rheni stantes in eos e munitionibus  
suis et tormentis fortiter egere. Erant insulae in Rheno, in quibus  
stabant Galli, et nihilominus Banduri et Croatae Gallos inde repellunt,  
occisis eorum ultra 80 et quinque Officialibus. Post insulam illam factus  
est pons magno cum labore, interim Gallis numero ultra 15000 ex arce  
Mortiers tormentis in nostros vehementer detonantibus, non tamen plures  
quam 20 e nostris occisi. Nostri tamen totum Rhenum ex hac parte  
transire ob hostem non potuerunt. Eodem tempore infra Bruckheim et  
supra Neuburg scilicet apud villam Rheinwiller alia pars nostri exercitus  
transire Rhenum tentavit, et ex duabus munitionibus hostem ejecit, quia  
tamen nebula incidit, et nostri ex tormentis nostris secundari non potuerunt,  
nostri redire coacti sunt, et in fuga e nostris non ultra 400 occisi sunt,  
et multi cum nautis in Rheno submersi; etiam hostis e suis alterum  
tantum amisit. Galli tamen ajunt, quod in hac infelici ex parte nostra  
expeditione 2000 nostrorum partim occiderint, partim in Rheno submerserint,  
partim captivos, et quidem 200, cum aliquot Officialibus fecerint, quos  
in Schlettstadt abduxere. Insula illa, quam ejectis inde Gallis, et transita  
maxima Rheni parte prope Brisacum nostri occuparunt dicitur Reinach,  
reliqua pars Rheni dicitur Geisswasser, quam obstantibus Gallis noster  
exercitus a quarta Septembris usque ad hanc diem 15tam Octobris, quo  
haec annotavi, necdum trajicere potuit, cum interim novi pontes fabricari  
debuerint, certe omni conatu tentatus novus per illam Rheni partem  
trajectus a nostris. Interim 30. Septembris apud Rheinwiller fiete tentat  
iterum cum aliquot navibus, plenis militibus voluntariis, Rhenum transire  
Princeps Waldekens et e tormentis permultis in Gallos undique excurrentes

ad litus jaculari jussit, uti et ex navibus cum minoribus sclopetis, interim non intendendo ipsum transitum serio, atque ita permultos Gallos occidit. Ipsi Galli fatentur, se mortuos suos numerasse 22 gregarios milites, unum Capitaneum tribus vulneribus laesum, ceteros vulneratos suorum fuisse 75. Haec Marchio de Balineours supremo Mareschallo campi Gallorum, Loignio, perscripsit ad ejus petitionem.

Ingolstadium, facta iam prius cum nostro Bernklau capitulatione de deditioe urbis sub conditione, si ante finem Septembris nullus succursus advenerit, non veniente intra hoc tempus dicto succursu se dedit nobis 1ma Octobris 1743, quo prima pars Gallorum, et Bavarorum exivit, et postea totum praesidium tertia die ejusdem mensis inde egressum est cum omnibus honoribus militaribus. Gallorum fuere 1700 Bavarorum 300, qui Bavari in Wimdingen seu Wendingen, locum Franconiae, ad reliquum exercitum Bavaricum sub duce Comite de Sekendorf abiere. Ferunt nostrum Comitem de Bernklau saepe cibos exquisitos misisse Commendanti Gallico ad ejus preces in urbem. Ita Deus totam Bavariam subdidit Reginae nostrae, et noster exercitus post paucos obsidionis dies locum munitissimum Bavariae, in quo Bavari et Galli tantum confidabant, gloriose cepit. Deo gratias. Hoc nuntio Magnus Dux Hetruriae, Maritus Reginae nostrae in die nominali suo honoratus est. Inventa in urbe ingens annonae vis, et 150 tormenta. Ab eo tempore totus Danubius liber factus est, ita ut naves, ut ante Ulma et Augusta per eum Viennam iterum descendere visae sint. Item 16. Septembris Monachium praestitit homagium Reginae nostrae in manibus Comitis de Goes, Administratoris Bavariae a Regina constituti, sine oppositione, et cum confirmatione privilegiorum ejus, insuper addito moderamine, ut Monaccenes eo tantum tamdiu teneantur, quo Regina Bavariaem possederit. Item deinde in alias Bavariae urbes praecipuas, Straubingam, Brunovium, et Ladshutum pro recipiendo eodem homagio, uti et Ambergam in Palatinatu superiori abiit. Dictum tamen, multos ex Officialibus Bavaricis noluisse in prioribus officiis et muneribus suis persistere, et alios nobiles e Bavaria excessisse, ut non cogerentur subesse Reginae nostrae. En miram Dei dispositionem! dum Elector Bavariae in prima invasione sua hostili de tota Austria superiori et Bohemia homagium accepit, nunc vice versa Regina nostra de ipsius terris idem fecit. Deo gratias Regina nostra super vinum Austriacum et Tyrolense in teloniis tertiam partem remisit, tantum autem auxit super vina Gallica.

Exercitus noster foederatus in auxilium Reginae nostrae missus urbes Palatinatus superioris Rheni a Gallis ante occupatas, iis fugientibus successive capit et intrat, praecipue Wormatiam, Frankenthal et postremo Spiram, ponte quoque navali super Rhenum structo, Hollandi Anglis in Septembri se conjungere et cum iis magis semper Alsaciae appropinquant, Gallis Landavium adhuc terentibus, et undique munientibus. Menzlius quoque cum suis Hussaris frequenter excursions usque Landavium fecit, et ex Gallis praedas agit, eorumque multos caedit, et captivat. Itaque

Galli uni Alfatiae servandae intenti omnes, sub Novillis et Loigni terram illam fortiter defendunt contra nostrum exercitum Austriacum et foederatum. Rex Angliae Comitem de Stairs, supremum campi Mareschallum, officium suum resignare cogit, eumque in Angliam remittit. Princeps Lobkowiz Comiti de Traun, qui nostro exercitui in Italia praefuit, substituitus, et Rex Sardiniae adhuc in foedere cum Regina nostra ita constans manet, et Hispanos per Pedemontum in Lombardiam penetrare non sinit, adjutus classe Anglicana, sub Duce Mathews, et pecuniis a Rege Angliae submissis, qui Mathews mare mediterraneum infestum habet, et nullas Hispanicas naves in Italiam ire patitur.

In Moscovia nova conspiratio contra Elisabetham Imperatricem facta detegitur, et conspiratores graviter puniuntur, inter quos quidam orator Regis Porussiae fuit, qui promisit his rebellibus, Regem suum eorum adiutorem fore puod tamen Rex negavit. Eorum finis fuit, ut Anna prior deposita cum filio suo creato jam in Imperatorem Russiae, Imperio restitueretur. Inter hos complices etiam numeratus fuit Marquisius de Bota, Reginae nostrae Legatus olim in Russia, contra quem Imperatrix Russiae a Regina petiit satisfactionem, quam eadem se ipsi daturam promisit, si is de hoc crimine fuerit convictus. Hispani in Sabaudia, et eorum socii in Romagnia positi, per totam aestatem tentabant penetrare in Lombardiam. huc usque tamen id efficere non potuere, i. e. in mense Octobri, quo haec scripsi. Princeps Lobkowiz, dux nostri exercitus, in eos educit suos in Octobri. Rex Porussiae Anspacum venit, vidit exercitum Bavaricum sub duce Lekendorffo, et postea Berolinum rediit. Fertur ille cum Rege Poloniae, aliisque Principibus Imperii, Carolo VII. dicto Imperatori velle succurrere, et colligere exercitum Imperii, et conari, ut hic Carolus suam Bavariam et Palatinatum recuperet, hoc autem dicti duo Reges et alii Principes absque violatione pacis cum Regina nostra factae, uti et promissae neutralitatis respectu Caroli VII. et Reginae nostrae facere non possunt. Exspecto quid futurum sit.

Die secunda Novembris Princeps Carolus Lotharingicus, affinis Reginae nostrae, et dux supremus nostri exercitus in Brisgovia, Mellicio transit Viennam et in Sieghardskirchen a Mago Duce Hetruriae, in Maria Brunn vero a Regina excipitur. Idem exercitus noster in hyberna concessit mense Octobri, uti et exercitus foederatus, relicto toto Palatinatu Rheni, et Angli cum nostris Austriacis sub Duce Arembergio in Belgium, Hollandi in Geldriam Hannoverani et Hessi in Ducatum Hannoveranum et Hassiam concessere. Rex Britanniae subito Hannoveram advenit, paucis comitatus die 18. Octobris, nuptias filiae suae Ludovicae cum filio Regis Daniae sua praesentia honestaturus. Nostris quoque insulam Reinach in Rheno deserunt, exustis apud caput pontis 8000 Palisaden, et multis millibus Faschinen, Galli eam statim possidere volentes nostris tormentis prohibentur, et se in fugam dedunt. Putabantur semper foederati Alsatiam invadere, et noster exercitus sub Carolo Principe Rhenum transire, sed nil factum est. Rex Sardiniae cum suo exercitu Hispanos et Gallos apud montem

Agnello et castrum Dauphin prope Saluzzo in Pedemontium penetrare volentes diebus octavo et nono Octobris fortiter repellit, ita ut hostes se in securiora receperint. Horum iactura ad 10.000 aestimatur caesorum, captorum, vulneratorum et desertorum. Rex Sardiniae propterea Turinum triumphans redit, Deoque per sollemne Te Deum gratias agit. Ipsi Hispani fatentur in fuga sua amisisse se partim mortuos, partim vulneratos 400 vel 500. Galli quoque iubentur a Rege suo concedere in hyberna. Signum est faturae propediem pacis, quod Dues det.

A die 10. Novembris et sequentibus per multi Hungari dicti Banduri, et Sauströhner e Bavaria per Danubium in ratibus Mellicio pergunt in patriam suam redituri. 20. Novembris Tzaikistae itidem cum suis navibus hic transeunt Hungariam repetituri. Post quos multae naves hic per Danubium praeterierunt plenae Gallis captivis post redditionem urbis Egrae in Bohemia, qui conducti sunt Neostadium, seu novam Civitatem in finibus Austriae, ab Hussaris ibidem, dum redimantur, detinendi. Eadem hac hebdomada Dux ductor praecipuus exercitus Austriaci—Belgici hic transivit, Viennam abiturus. Et superiori mense Comes de Traun, olim dux exercitus nostri in Italia contra Gallos, Viennam venit, iturus ad urbem Brünn in Moravia, et arcis Spielberg futurus praeses. Loco ipsius autem Princeps de Lobkowiz exercitui dicto praefectus, Hispanos persecuturus in ducatum Bononiensem penetravit usque ad urbem Ariminensem in Italia, indeque Hispanos longius fugere coëgit usque in Marcam Anconitanam. Comes de Khevenhüller paulo post Mellicio transiens ivit pariter Viennam.

Prima Decembris Regina nostra in Ecclesia Augustinensi Viennae Nuntio Apostolico tunc temporis in Aula nostra, Camillo Paulucci Comiti, hoc anno facto Cardinali a Benedicto XIV. Biret, seu mitram cardinalitiam, ipsi missam a Summo Pontifice sollempnissime apposuit. Mirus iste casus, quod foemina umquam apposuerit mitram cardinalitiam, saltem in Domo Austriaca! Hoc eodem anno noster D. Abbas Adrianus officium Rectoris Magnifici in Universitate Viennensi de more deposuit, cum tantum per unum annum duret, in cuius locum ex Facultate Juridica quidam Dominus Fraise successit.

In Octobri et Novembri Galli ex Alsatia apud Huningen Rhenum transeuntes, pontem ibidem exstruunt, sed tantum usque ad insulam fluvii et ibidem per rusticos Alsatos quaedam munimenta, jam olim ibidem ab eisdem erecta, et postea ex pacis ultimae conventionem destructa renovant, nostris Austriacis in Brisgovia nihil de hoc scientibus, neque se propterea opponentibus. Quod cum rescitum esset, Princeps de Waldek, qui nostro exercitui in Brisgovia existenti, et jam in hyberna collocato, praecerat, cum Hussaris hostes Gallos explorans, rem ita disposuit, ut si vellent hostes nostram ripam transire, optime scilicet exciperentur. Verum postea cognita est fraus et strata gema Gallorum, quod scilicet nihil aliud per hoc intenderint, nisi ut prope veterem Brisgoviam novum pontem super Rhenum construere vellent, atque nostra Magazina vel vi auferre, vel

incendere, cum interim nostri milites essent intenti ad illos apud Hünningen transire paratos excipiendos. Quod cum advertisset Princeps Waldek, scilicet fraudem illam, jussit omne foenum, frumentum et cetera alimenta e locis ad Rhenum sitis Friburgum, metropolim Brigoviae, summa celeritate transvehi. Itaque Galli sentientes ipsorum solum a nobis deprehensum, suam in Alsatiam recessere. Paulo post Galli etiam Rhenum transeunt apud Hünningen in territorio Imperii, atque ita eis Rhenum pontem et fortificationes construunt, nostris Austriacis minime se opponentibus. Similiter in Marchionatu Baden, Durlachensi, Rhenum transeunt et pontem in eo exstruunt, ac vehementer muniunt, nostris militibus non contradicentibus. Galli sparsere, hoc ideo fecisse, ne nostri Hussari ac Banduri Rheno glacie obducendo in Alsatiam excurrant, novo dolo, ac astutia. Exercitus noster Belgicus sub Duce AreMBERGIO in Belgium Austriacum ad hyberna abiit, uti et Angli, foederati nostri, et Hollandi in terram suam. Hannoverani in tractu Coloniensi et Westphalico hyberna acceperere. Bavaria et Palatinatus superior a nostris militibus quiete per hyemem possidentur. Varias pacis propositiones nostrae Reginae fiunt, quas illa rejicit, et ad bellum anno insequente continuandum se fortiter accingit. Episcopus Leodiensis obiit, in cujus locum Theodorus Episcopus Freisingensis et Ratisbonensis, Dux Bavariae succedit. In Italia noster Lobkowizius cum exercitu Ariminii se tenet; Hispani vero in Pesano, Fano, aliisque locis finitimis. Aliquot naves Anglicanae mare Adriaticum propter Hispanos infestant, nobis in commodum.

(Continuatur.)

## Die Bemühungen des Benedictiners P. Placidus Amon um die deutsche Sprache und Literatur.

Von Dr. Rudolf Schachinger, Capitar der Stiftes Melk.

(Fortsetzung aus Jahrg. X. Heft I, S. 96—106.)

Antwort. <sup>1)</sup>

Es könnte mein bisheriges Stillschweigen über mich das billige Urtheil einer Saumseligkeit sprechen; wenn nicht die Umstände der Zeit, und eine ganz unverhofft gemachte Verordnung meines Vorstehers für mich diessmal das Wort redeten. Erst den 5ten des abgewichenen Monats hatte ich die Ehre, Eur. Hochedelgeb. sehr werthes Schreiben nach meiner Zurückkunft in Melk zu empfangen, davon ich wegen gebrauchter Badecur beynahe vier Wochen entfernt ward. Gleich darauf empfing ich den obrigkeitlichen Befehl, mich abermal zur Reise nach Traiskirchen fertig zu machen, um allda die tägliche Frühmesse zu halten. Daher musste ich über Hals, über Kopf, meine Rechnung über die von mir versehene Kleiderkammer in Richtigkeit bringen, auch meine Bücher, Schriften, Bilder, und all übriges Hausgeräthe selbst zusammen packen;

<sup>1)</sup> Dieser Brief fehlt in der Leipziger Universitätsbibliothek; die Bibliothek des Stiftes Melk besitzt ihn, wie die übrigen Briefe Amons an Gottsched, in Abschrift.